

S I L E S I A .

FUIT hæc Prouincia diu sub Imperio Polonorum, tandemque sub-
iicitur Coronæ Bohemiæ, accipiens nomen ab amne Schleso (vel ut
alij sentiunt) à Schleso Rege. Odera fluuius perlabat eam. Latitudo
eius patet itinere trium dierum, & longitudo quatuor dierum: exten-
diturque à Regione Hungarica, vsque ad Brandenburgensem Mar-
cham. Fuit Episcopalis sedes primum Nyssæ: deinde translata fuit
per Casimirum primum ad Vratislauiam Metropolim Prouinciæ.
Sermo populi Germanicus est: ab altera tamen parte Oderæ fluuij,
vbi Poloniam respicit, Polonica lingua præualet. Habet Regio duos
præcipuè Comitatus; vnum in Lignitz, cui magna pars terræ & po-
puli subsunt: alterum in Schweidnitz, qui paret Regi Bohemiæ, &
is habet in eo præfectum siue Vicecomitem, qui in Oppido Lauer
manere solet, & quatuor in anno vnà cum reliquis Nobilib. in Vrbe
Schweidnitz celebrat Iudicia. Multitudo Ducum, inter quos pater-
na hæreditas per capita diuisa fuit, lacerauit Prouinciam in multas
partes, vnde Regio frequentes incurrit calamitates, & crebris expo-
sita fuit latrocinij. Terra ipsa vallatur montibus, & multis inspergi-
tur syluis; humectatur plurimis riuulis, quos Bohemiæ montes ex-
trudunt, & ad Oderam destinant, vnde Regio admodum fœcunda
redditur. Incolæ bibunt potum ex cerere factum, quem Bierram
vocant. Infertur quoque vinum ex Morauia & Hungaria. Et iuxta
Crosnam Oppidum crescit vinum; sed quod magna ex parte per
Oderam in Prussiam, & alias maritimas terras aueritur. Aiunt e-
tiam victum in hac Regione comparabiliorem esse, & in minori pre-
cio inueniri, quàm in alijs circumiacentibus terris. Hæc Munste-
rus in sua Cosmographia. Cetera Pius. II. in Europæ descriptione,
Laurentius Coruinus Nouoforensis; Franciscus Irenicus; Sabel-
licus Ænn. 10. lib. 2. & optimè Georgius Rithaymerus. nec non
And. Althamerus.

Vrbs huius Regionis (quam primariam diximus) Vratislauia est,
amplissima, à Vratislao secundo Rege Bohemiæ condita; olim Bu-
dorgis appellata. Sita est inter duos montes ad ripam Oderæ (inquit
Pius. II.) priuatis ac publicis ædificijs magnificè ornata. Odera
fluuius (Ptolemæo Viadrus dictus) qui eam secat, in
Hercynia Bohemiæ ortus, apud Stetinum
Vrbem se in Sueuicum mare
exonerat.

